

**Oratio Harveiana prima in novis aedibus collegii habita sext. Kalend. Jul.
an. MDCCCXXVI / a Pelham Warren.**

Contributors

Warren, Pelham, 1778-1835.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Londini : R.H. Evans, 1827.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bd3p5zjp>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

307
12

15

ORATIO HARVEIANA
PRIMA
IN NOVIS ÆDIBUS COLLEGII

HABITA

SEXT. KALEND. JUL. AN. MDCCCXXVI.

A PELHAM WARREN, M.D.

COL. REG. MED. LOND. NECNON. REG. SOC. SOCIO.



LONDINI :

PROSTAT APUD R. H. EVANS, 93 PALL-MALL.

MDCCCXXVII.

ORATIO HARVEIANA

PRIMA

IN NOVIS AEDIBUS COLLEGI

HABITA

SEXTO KALEND. JUL. AN. MDCCCLXXVII.

A. PELHAM WARREN, M.D.

COL. REG. MED. LOND. SOCIET. REG. SOC. MED.

LONDINI

PROSTAT APUD R. H. STANS, 23, FLEET-STREET.

MDCCCLXXVII

EX OFFICINA GULIELMI NICOL, CLEVELAND-ROW, ST. JAMES'S.

HENRICO HALFORD

PRÆSIDENTI

SOCIISQUE COLLEGII REGALIS MEDICORUM LONDINENSIIUM

ORATIONEM HARVEIANAM,

IPSORUM JUSSU IN PUBLICUM EMISSAM

D. D. D.

PELHAM WARREN.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

<https://archive.org/details/b22325025>

ORATIO.

GRATUM habet aliquod, O Socii, et jucunditatem fere sibi propriam antiquitatis inquisitio, sive de majoribus rebus sive levioribus constituatur illa, seu magnarum ditionum exploret ortus, philosophiæ ac scientiarum exquisat origines, aut minorum artium. Plus autem voluptatis ab ea concipitur, quæ sibi conjunctam habeat aliquam vitæ rationem eorum qui ante vixerint, a qua non solum res actæ subjiciuntur animo, verum etiam ipsos actores, quasi agentes, intueri possumus. Cujusmodi cum sit hodierna et de vestrorum facienda laudibus, quas licet extra spem meam vestramque sit ego ut attingam verbis, non vereor rei præstantia posse vos attentos teneri. Non tamen eo minus expeto benevolentiam, quam soletis porrigere aliis, qua mihi plus solito est opus hodie, cum de majoribus qui loqui studeat non possit vos silere; quos certo scio proclives esse omnes ad antecessorum famam sensisse aliquos quam difficile sit eam consequi; horum ergo integrum est exposcere lenitatem, sperare cæteros benignos.

Vos igitur erga me ut benevolos habeam æquissima lege oro. Hæreditatis Linacri participes, quos possem si

liceret, in exemplum adducere virtutis ejus et eorum qui per ætatem quamlibet ei successere, quique laborarunt, sicut vos laboratis, ut ad eos delata res floreret integra, et curarunt ne illa illo, quo consuevit ferri, non moveretur impetu. Quorum ad vitas vos ita conformatis vosmet ut par sit apud posteros utrinque laus ; ut quibus intersit similitudo morum, non desit similitudo famæ. Par enim a vobis illisque fuit collati in rem vestram beneficii, par disciplinarum ratio ; acceptumque illud a majoribus, ceu Palladium domus, tenuistis, nempe, non licere medicinæ sine literis esse ; quibus amotis, nudam fore illam intellexerunt, mancam sine artibus et scientia, ineptos ad eam eorum animos, quos non excoluerant severiora studia, nec aliter vigere posse incolumi dignitate.

Ne sit hoc ambiguum ea exquiramus quæ sint necessaria quæque apta medico ; quibus cognitis, decerni potest, quæ sint animi dotes ad hæc comparanda, quæ ad eas excolendas artes utilissimæ. Primum est, ut sciat in quo sit salus ; id est, ut totius corporis fabricam ejusque actiones intelligat ; quarum aliæ rebus physicis cum se misceant, aliæ chymicis, aliæ vi propria animantibus gubernentur, harum rerum normas et rationes exploratas habeat necesse est. In quibus continetur multiplex et varia doctrina ; atque includi debent institutiones eæ, quæ hujusmodi præmissæ studiis mentem acuunt, judicium confirmant. Patet inde morbos vel esse læsiones corporis, vel ejusdem aberrationes a salu-

bri virium animalium cursu, vel earum ab utraque conflatos. Horum pæne innumerabiles formæ et figuræ parum sibi consentaneæ, nec semper similes nec eædem, sed unius cujusque hominis pro temperamento variæ, nonnunquam acutiores effugiunt visus, vix detegi possunt aut ad notam legem reduci. Illo in discrimine cum sit ea res, qua nisi perspecta, non quisquam erit medicus, (quo enim modo, qui morbum nescit, is ei scite apponat remedium?) constat magnam intelligentiæ vim ipsa postulare initia medicinæ. Formanda est in animo verissima quasi effigies cujuscunque morbi, quæ illic nuda appareat simplexque, hic vestita, ceu iis omnibus accincta rebus quæ possint ei accidere. Ad hanc conferenda sunt quæ in ægro cernuntur, ut eorum similitudines ac dissimilitudines notentur, et ordinariorum corporis motuum sunt ad rationem reducenda, æquum ut de morbo fiat judicium. Quod vel ad infirmandum vel confirmandum quasi testes producendi sunt faciei oculorumque aspectus, linguæ color, quæque in ejus superficie conspiciuntur, sensuum vel læsio vel integritas, cordis et arteriarum motus, idemque pulmonum, quæque ab iis excreantur; quæ separantur per alvum, quæ per vesicam, quæque a ventriculo rejiciuntur; bilis aliæque secretiones, dolor quaqua parte infestus ejusque natura, corporis calor, cutis transpiratio, cum multis aliis, quorum signa si in unam rem conveniant, certa est dijudicatio morbi; sin aliter, dubia; si

omnino inter se discrepent, tota erit res in solertia medici et ejusdem experientia. Quippe, quæ interiore corporis in parte versatur ars vix ab iis indiciis potest instrui quæ subjiciuntur sensibus, sed plerumque iis nititur quæ verisimillima menti, collatis undique testimoniis videntur. Ob eamque causam cum difficillima sit, est inter maximas, prima medicina; cui fontes et principia sunt ratio et observatio, e quibus conflatur sagacitas. Et eo difficilior, quod in ea quæ excogitarunt alii, cujusvis sunt alius quasi mentis incudi reddenda, ut singulis adaptentur animis; quæ viderunt, ut intelligantur, unicuique medico quæque suo lumine lustranda. Obscura sunt enim quæ per alienos spectantur oculos; quæ per alienam rationem efficitur, infida est judicatio. Nec ita quidem consimiles sunt hominum mentes, ut per easdem vias ad easdem res progrediantur; sua cuique est ratiocinandi norma, quæ licet eandem consequatur metam, alio tramite illuc deducitur; nec pares a natura constitutæ sunt, nec ab industria fieri possunt; sed ut varia sit et diversa, ita præstantia quæque pollet sua. Quæ et augenda est et perfectioribus disciplinis munienda, ne nimis illinc luxurietur animus, ne nimis hinc arescat; tota fere cum sit in eo medicinæ vis, quo, tanquam machinatione aliqua, moventur artis instrumenta.

Ea igitur quæ consilio non viribus gerenda res est, quæ neque a corporis firmiore compage pendet neque artuum robore neque manus peritia; quæ proprium est

animi negotium totamque mentis intelligentiam complectitur; cujus eas facultates præcipue sibi poscit, per quas, rerum causas earumque progressus et consecutiones videmus, enodamus implicata, diffusa connectimus, dissipata in ordinem redigimus, rerum pæne similium diversitatem notamus et de iisdem iudicium ferimus; quæ si celeriter conficiuntur, promptum hominem indicant; si accurate, sagacem; non nisi ab iis qui excultæ sunt indolis bene perspicui potest, nec esse sine doctrina, nec florere nisi sibi literas adsciverit altrices, nisi sapientiam habuerit ducem, nec alio modo sustentata est nec erit alio sustinenda.

Hoc nihil prius habuerunt veteres, hoc receperunt vestri renatis literis et medendi arte. Extemplo fuit foecunda magnis civibus res medica, ad cujus amplificationem contulit, eam quisque quam didicerat disciplinam, suam quisque literarum peritiam, quibus vel ad excogitandum acutior vel ad explicandum factus est uberior. Horum a laboribus et vigiliis tantos vos percepistis fructus, ut fere nihil sit eorum quæ jactatis hodie, licet ampliora quædam et perfectiora dies et usus reddiderint, quod non explorarant illi, non tetigerant, non ornaverant, vel saltem designarant morem quo quidque posset erui. Quod si videar alicui hos nimis extulisse, ab illo petam ut iis quæ dicturus sum, attentum sese præbeat; quæ cum audierit et secum recoluerit, nullus dubito quin aliam abiturus sit in sententiam; hæc enim rebus gestis ostendi possunt, ideoque

non sunt improbanda verbis. Præterea eum meminisse vellem, vosque omnes hortor ut in memoria teneatis, rem nostram, cui salus communis plus jam trecentos annos et inspectio medicorum commissæ sunt, neque a regia munificentia neque a sumptu publico neque a pecuniis extrinsecus erogatis crevisse in molem, quam videre estis soliti; utque prædia quibus utimur, quicquid in ærario reservatum fuit, quod potissimum pretii habeat bibliotheca, quod museum, stipendia prælectorum, ædes quas nuper reliquimus; omnia hæc et plura alia quotquot intueri oculis aut contemplari mente consuevistis, ad nos devenierint e donis Sociorum, aut extracta fuerint nummis in usum nostrum conflatis ex ipsorum benevolentia et voluntate. Unde intelligatis potestatem quidem inserviendi reipublicæ nobis concessam fuisse; ea vero, per quæ cum dignitate inserviamus, proprio Marte nos comparasse nobis.

Qua commemoratione vos incendi posse novimus; aut incensos si non viderimus, rem nostram sensimus eo gratiorem ad vos pervenisse; neque quenquam vestrum, quin is ab ea discesserit quasi genio Linacri quemadmodum afflatus. Cujus affuisse visus est animus per omnes casus, omnes fortunas omnium temporum, operibus et laboribus suorum; et vigilasse, quas ipse suis inseruerat vires ne frangi possent aut languescerent. Illum rei nostræ fundatorem, quasi præsentem, solenniter agnoscimus, consiliorum participem habemus, proponimus ad imitandum, reverentia

accipimus qua filios decet parentem. Qui si revera posset interesse suis, et hodiernam eorum amplitudinem videre, vix dubitem quin ab his plus esset illi persolvendæ gratiæ, quam his ab illo tribuendæ laudis. De vobis enim qui civitatem vestram, ac si ipse ordinasset, ordinastis, vitam ejus vestra expressistis, acceptumque ab eo retulistis beneficium, certum esset ipsius judicium, certum erit posterorum; nec alia nisi maxima vicissim dari posset reddique laus ab iis qui refecerunt, ab eoque qui rem condidit.

Cantuariæ natus, ut primum ex pueris excessit, Oxonium se contulit, tener annis, doctus tamen præter ætatem, singularis solertiæ prudentiæque juvenis, insignis morum probitatis, maximæ modestiæ; arreptaque, celeriter quæ illic erat doctrina, ampliorem quæsiturus adiit Italiam. Quem cum eo pervenisset, sive quis famæ rumor anteverterat, sive eam habuit benignitatem et modestiam quæ ad se alliciunt alienas voluntates, fere salutatem venerunt eruditissimi quivis homines; et recepere, non ceu qui peregre factus est ad discendas literas, sed quasi qui venerat ad docendas. Protenus ei familiaris fuit domus Laurentii Mediceorum principis, bonarum artium tunc temporis studiosissimî; cujus patrocínio fretus filiorum usus est consuetudine, Græcam linguam (hucusque in Italiâ raram, apud alias gentes fere incognitam,) qua una doctrinarum quas attigerant Itali carebat, cum iis ut haberet

a Demetrio; in hac condiscipuli partes, præceptoris ut ageret in aliis. Ibi plus biennium moratus Politiano socio fere totam recensuit antiquitatem, et amplissimorum hominum perspexit mores, vitas, officia, aulicaram rerum cultus. Unde abiens, quæ Romæ erant Hermolao magistro percepit artes; mox in patriam reversus, quas retulerat, cum Oxonio suo primum communicavit, et in regiam Anglicam postea traduxit; tantamque rem peregit, ut videretur patroni sui induisse mentem, neque tam benefecisse quam vixisse patriæ. Eo igitur reductum unde excesserat videte, omni parte jam tandem absolutum, literarum lumen, novas leges medicinæ dantem, suosque Græce balbutientes plane loqui docentem et aperte. Hoc cum politioris esset initium doctrinæ, quæ ab illo cæpit inde invalescere, et ad summam exercitationem laudis postmodum evecta est, mirari licet, in eo loco nec ullum exstitisse tantæ rei testimonium publicum, nec ullam tanti viri effigiem nec monumentum fuisse nec pictam tabulam, donec intra paucos jam annos æquior aliquis ab alma matre sua eam ademerit labem. Potest autem esse satur famæ qui vos sui memores fecerit; nec altius desiderare præconium, qui Thomam Morum Tonstallumque discipulos habuerit et Erasmus utroque majorem.—Interea temporis Procli Sphæram et Galeni quædam e Græco sermone in Latinum verterat. In quo genere fuit Anglorum primus itemque maximus, ita fidus, ita nitidus, ut dubitare

liceret, uter esset auctor, uter interpret. Is etiam fere princeps e nostris accuratam dedit scribendi et intelligendi Latine normam; aureum sane opus, brevi et conciso ut decuit conscriptum stylo, cui accessit concinnitatis quiddam et elegantia. Hæc de otio; ea mente ut facilius per literas foret iter ad medicinam, ut quisquis esset doctior ei latiores explicarentur ad sapientiam aditus; ut quo quisque instructor, eo majorem intelligendi vim haberet; quibus fieri posset ad artem suam discendam, agendam et excolendam, acutior, aptior, incitator.

Ad ea venio per quæ ejusdem virtus rem nostram tandem assecuta est. Hæc ut dilucidius pateant, pauca sunt dicenda de literis eo tempore apud Anglos. Notandum est igitur quinquaginta fere annos bello domestico et discordiis labefactatum imperium in manus prudentissimi regis jam tandem devenisse. Literæ interim aut exulabant prorsus aut ludibrio erant ut pusillorum hominum aucupia, aut ad monachorum claustra se receperant. Unde prelorum usus ad libros excudendos, brevi ante natum Linacrum repertus, parum profecerat nostris; et doctrinæ apud Italos exorta lux non æque clarum ac in aliis Europæ gentibus nobis induxerat diem. His incommodis remedio fuerunt allata quies, et ad eas artes, quarum ipse exulans aliquam perceperat normam, regis propensus animus. Quem non modo suus erga literas illuc admovebat amor, sed et id quo proceres, vix dudum

armis satiatos, suavioribus otii studiis implicaret; quibus ad communem usum cultumque vitæ relatis, suam sibi discerent refrænare licentiam. Atque hoc ita prospere evenit ut in ætate proxima nulla gentium vicinarum tranquilliore uteretur ditione, nec homines magis imbutos doctrina ad eamque excolendam procliviores haberet. Quibus igitur institutionibus alios formari voluit, non eas a suis detinuit. Quare quid miremur horum omnium suasori et pæne auctori Linacro, iis quæ docuerat expoliendum artibus, et simul sanitatis tuendæ causa regis filium traditum fuisse. Hoc modo nactæ regium patronum, caput extulerunt statim literæ; nactæ institutorem medicum, simul efferri cœpit medicina; quæ ita erant ætate pares et dignitate, et ab eo die comites. Cujus quasi sodalitiî conservatio summæ fuit curæ conditori nostro. Omnem igitur qua pollebat apud regem, apud nobiles, apud publicos et privatos viros, existimatione, sive propter majorem in arte sua peritiam, sive cognitionis copiam, sive vitæ integritatem, morum mansuetudinem cæterasque quas memoravimus virtutes, omnem eam eo convertit, ut in artis amplificationem et rei publicæ salutem lex daretur medicis qua cohiberi possent imperiti; ut tantæ rei præmitteretur aliqua ad instruendum animum conformatio doctrinæ; ut ea arte non liceret uti nisi habilibus viris et idoneis. Id inde factum est a Rege et Senatu, quod non unius fuit nobis diei gratulatio, sed perpetua;

non laudi Linacro sed laudis æternitati. Hæc rerum nostrarum origo; hinc prima pullulavit gemma, quæ jam tandem se in florem pulcherrimum quem videtis explicavit; hinc primo didicere medici, quantum sibi tantum arti suæ simul inservire. Quibus constitutis, rei novæ ne deessent custodes eruditi, prælectiones Græcas in utraque academia instituit; ne custodibus domus, suam permisit vivus, mortuus testamento legavit.

Hoc priscae liberalitatis exemplum ad vos libentissime revoco, quod et eo recenter estis usi, idemque secuti sunt ante vos complures alii, nonnullique, sicut ipse, qui totam rebus nostris vitam cum impendissent, non earundem morientes sunt obliti. Hoc munus, ceu primitias beneficiæ, religione quadam ad hunc diem servastis, hoc in perpetuum conservetis; quod eo nomine magis magisque oro, ut nunquam apud vos desit originis indicium, nunquam obsolescat id a quo profecti tantam viribus propriis pervenistis ad amplitudinem.

Habetis Linacrum, non minore quam consecutus est revectum laude, non majore quam decuit ornatum. Cui similes aliquos nostra domus tulit, cui non absimilem unaquæque ferat ætas. Si enim cui contingat amare literas et profiteri, et in iisdem summe versari, cui studere dignitati medicæ, cui artem ipsam excolere, opibus juvare, auctoritate sustentare, vel hæc fecisse contigerit, is dici potest ad Linacri famam quadantenus accedere aut eo pervenisse,

nonnullos ejusmodi habebimus, nonnulli ejusmodi fuerunt. Si vero qua parte quis vestrum se protulerit, non solum ad has res habilis sed et iis ornatissimus ; qui qua fortuna usus sit apud regem, qua fama apud proceres cæterosque concives suos floruerit, eas ad civitatem vestram ita retulerit ut inde ad vos quantumvis pretii beneficia profluxerint, et quemadmodum aucta sit existimatio vestra, eum ideo propiorem esse Linacro quis facile non agnoscat? Qui igitur præfectus est hodie nobis, cum fere similia præstiterit, quo grati animi testimonio vos eum excipietis, qua laude posterius excipient, non inanis erit auguratio.

At quoniam mos noster hanc, quæ mortuorum est propria, laudationem vivis negaverit, adeamus eos quos primum memorare novæ hujusce moneat ædis constructio. Atque inde ordiar unde recto et facili tramite ad nostra deducar tempora ut sciatis quantumcunque id sit, quod nuper effecistis, idem fere prout res postularet, majores fecisse. Annis aliquot elapsis, cum tandem Linacri domus crescenti rei non satisfaceret, erecta est alia sumptibus Sociorum, ad quam alieni nihil auxilii relatum est. Hanc postea adauxit et ornavit Harveius, adjectis conclavibus, bibliotheca, museo : mala quidem fortuna et acerba : vix enim perpeffa fuerat illa civilis motus rabiem, unius Hamæi virtute conservata, cum urbis incendio periit. Ut vero magnis hominibus e pessimis rebus aliquid boni provenire solet, ita vestris emolumento illud infortunium fuit. Nempe

rem jacentem qui levaverat desperatæ not defuit; collataque a Sociis utrinque pecunia, œdificium aliud idque amplius prioris exsurgebat e ruina. Hujus magnificentiæ vetustique splendoris, cum mentibus oculisque pæne hæreant recentes, supervacanea esset commemoratio. Atqui vobis neque civile bellum gravius aliquod malum intulerat, neque injuriam urbis conflagratio; vos calamitate nulla obsessi eratis, nulla egerat necessitas; vos inquam nihil nisi sola incommoditas rei vestræ bene gerendæ, et perpetua erga civitatem pietas, ad tam præclarum facinus impulere. Itaque magis auctus urbis ambitus et mutati hominum mores cum poposcerint ut in aliam sedem transferretur domicilium; cum simul ædium publicarum nitor monuerit, ut splendidum aliquod vos etiam moliremini; quibus perficiendis interposita est ærarii tenuitas, tantum argenti quantum opus fuit, more majorum suppeditastis libenter; neque difficile neque arduum vobis comparuit septem aureorum millia e propriis acervis in usum publicum congerere et polliceri. Sed si a rebus recenter gestis quodammodo videamini antecessorum famæ, præfecisse vestram, ne vos sumatis inde superbiam, cum non sitis facti re sed fortuna priores. Idem animus, par studium, similis voluntas utrosque concitabant, major vobis intercessit facultas major occasio. Quam cum benefaciendi arripueritis, et ita rem absolveritis ut gratia ab atavis accepta, non solum relata esset posteris

sed quodam quasi fœnore repensa, quanto erunt illi beneficio, tanta vos eritis affecti laude. Si gloriosum fuit antecessoribus talem rem nulla externa vel saltem minima ope confecisse, id auxilium quod ab extero habuimus certe non est inglorium. Quid enim vobis, quid præteritæ vestrorum virtuti, quid hodiernæ vestræ, graviori potest esse testimonio, quam munus a Rege et Senatu nuper concessum? Qui cum non nescierint rem medicam plus obtinuisse apud suos quam apud externos dignitatis honestioremque locum, simulque noverint quantum ad eam contulissent instituta vestra, censebant non decere eos qui per trium sæculorum spatium, nulla accepta mercede, nec diligentia nec crumena nec labore ab ea defecerant, ab iis deficientem habere rempublicam. — Nec Principem fugit augustissimum, (quo non alius a restauratis literis universæ artium cognitioni tantum se tradidit, vel eas munificentiâ magis excoluit, quotquot doctrinam, scientiam, humanitatem sapiunt, quæque elegantiam spectant,) æquum fore, vetustissimam in urbe sua philosophiæ sedem singulari condecorasse gratia. Quæ nos memoria summæ suæ benignitatis obstrictos tenet, habetque supplices, ut qua cura cæteris solet invigilare, Apollineam artem utpote maximam, dignetur eadem tueri, — Sed jampridem vereor ne me immemorem censeatis, qui donum e re familiari Radcliviana depromptum præteriisse visus sim. Probe quidem consulebant magno viro hæreditatis ejus custodes, qui partem

aliquam, quas distribuunt, opum eo unde provenerant re-
duxerint. Quippe ex eo gratius it nomen tam diu suæ
pergratum urbi; adjectaque ei est, cui non desiderabatur
alia, collocatæ in eam benevolentia laus. Illum ergo quasi
surgentem hodie videmus laboris nostri socium, parti-
cipemque illius, quicquid id est, quam simus consecuti
famæ.

Qua fidelitate rem Linacri susceperunt majores, quo
modo cum eorum opera vestra se miscuit, enarravimus;
ad necessitudines quas habuerunt illi quas cum Caio
vos habuistis et habetis, accedamus. Is enim nobis est
Anatomia auctor atque parens, is eam scholam posuit
et ornavit a qua ad gloriam profectus est Harveius.
Igitur ab eo inita est medicina perfectior, qui eadem
fere quæ Linacer arti præstitit et quod veteribus parum
innotuerat, adjecit aliud. Cujus quidem inquisitio, ab
antiquis non abjecta medicis, mala sorte usa est. Nempe
a Galeni temporibus fere usque ad ætatem Caii, in quo
esset loco immota constiterat ars; nihil ei interim vel
fors objecerat, vel alicujus hominis ingenium et indus-
tria, donec apud Italos eam cum aliis redivivæ literæ
revexerant. Inde multum operis huic impendebant
aliqui, quibuscum noster conjunctus studiis ad exi-
miam artis hujus intelligentiam pervenit. Hanc ab Italia
redux in vestro reposuit sinu; et demum extra parietes
vestros, in Chirurgorum aulâ Chirurgos docuit, multa

cum ipsius laude, magna vestræ domus gloria, non mediocri illorum commodo. Quibus Anatomix datis initiis, coepit illa deinceps vi ferri sua, et maximorum hominum innisa auxiliis, quam hodie habet, maturitatem attingit.

Ad cujus opem proximi venerunt Caldwellus noster Gulstonusque, præstantes viri gratissimique posteris, non solum propter eum ei quem adhibebant laborem, sed etiam ob prælectiones institutas. Quæ ita celebratæ fuerunt ut nec vestros ignaviæ puduisse, nec eos poenituisse potuerit vestris commissæ fidei; ut quot annis eæ retulerint aliquod hacce Societate dignum; ut utilia nonnulla et honesti moris in publicum edita inde provenerint. Quod si horum utri cur pigeret si in utrosque peccatum esset; si neque Battæi ingenio neque Laurentii recentiorum, neque mediæ ætatis plurium dedisset operam Caldwelli institutum, nonne arbitramini sensisse illum, satis ei gratiæ reddidisse vestros, si novisse potuisset, ab illa cathedra, de qua docuerat, ab illa quam constituerat posteris, Glissonium hepatis structuram et lymphæ ductuum naturam absolvisse, circuitum sanguinis Harveium explicasse.

Is de quo loqui difficile est, quem tacere non licet, quem levioris erit laudis, maximis adscripsisse viris, nisi cum iis conjunxerimus, qui humano generi maxime benefecerint. Is enim, qui sola suæ mentis acie ad rem tantam penetravit et inde ostendit normas, quibus motu suo sanguis

gubernatur, unde patet qui suus est arteriis, qui venis usus, quo pacto per eas traditus vitalis humor unicuique corporis parti vim infundit, quamque sui muneris monet, et qua id exequatur præbet materiem; quibus exactis in cor reductus pulmonum iter facit; tum demum unde abiit rediens, renovato vigore emittitur ad eadem munia agenda et sustinenda; eo ditavit medicinam dono, quod perpetua posterorum gratia, quod immortalitate laudis rependi vix potest; cui nihil compar huic adjecit arti, cui nihil quisquam alienæ majus. Is etiam est qui detectis ita legibus quibus tenetur vita, unde ipsa esset inde exploravit. In rei cujus indagazione, non solum hominis sed ferarum aliquot, avium, piscium, reptantium, natantium, volantium, percontatus est naturam. Novum igitur ei non fuit quod cum multo ingenio plerique tractant recentiores opus, experiundo petentes quid cum hominum commune habeat animalium fabricatio, quem morem traditum a vetustis medicis in suam disciplinam acceperat, et, sicut alia quæ tetigit, auctiorem reddiderat suis. Porro in scriptis ejus ea est lucida veritas, ut qui vel leviter perlegerit quæ narrantur, non tam sibi videatur perspexisse animo, quam vidisse oculis; qui accuratius, miretur solertiam, modestiam, lenitatem, ordinem, quibus explicantur argumenta, ut paulatim e tenebris emergens obscuritatem suam sensim exuat, et in clara luce pateat manifesta res. Quæ nec casu ut aliquando dicitur sibi

obvenit menti, nec priusquam multa animo, multa in legendo veterum percurrisset. Etenim ingenium a natura ditissimum locupletaverat inde adepta sapientia, a qua sibi paraverat subsidia, quæ mentes infirmas roborant, quæ fortibus sunt auxilio. Quod si confitemur venarum valvulas ei primam injecisse menti hujus rei suspicionem, sicut narrant pomi lapsum primum induxisse Newtonum ad leges quibus sidera moventur; hæc cum ab aliis non semel visa essent, nec eundem tulissent fructum, ane putetis clarissimas inde deductas rationes temeritatis fuisse? an majoris intelligentiæ? At si quæ fortunæ tribuerint aliqui, ego ingenio dederim, non eum negaverim felicem qui ingressos alios quam aperuerat viam et cum laude progredientes vivus viderit. Cui per ætatem licuit inventum vasorum lactealium apud externos et quod faciunt iter ad venam subclavii novisse, et vasorum lymphaticorum apud suos in hac æde a Glissonio promulgatum, qui et intimam hepatis, ventriculi, intestinorumque naturam et usus ita explicavit ut haud dubius esset modus quo renovatur sanguis; et scire potuisse quid excogitavit idem de fibrarum, quod aiunt, irritabilitate a sensu diversa, et in Highmori disquisitionibus discipuli sui mentis suæ repercussum sentire lumen, Willisii labores de nervis et cerebro prospicere, et cupiditate rerum Anatomicarum incensos videre medicos ipsius nominis gloria. Unde sunt Loweri de corde, et opera Whartoni de glandulis, Charltoni

lucubrationes de œconomia animali, Crounii aliorumque de musculari motu, et a quibusdam notatæ respirandi leges, quamque inferat morbis sua cerebro a compluribus adhibita est vis, rejecta veterum sententia. Eodem fonte derivata sunt quæ de animalium constructione scripserunt Gualterus Needham, quæ Tysonus, quæque Martinus Lister, necnon ea quæ in cadaveribus secandis gesserunt Scarburghius, quæque Entius laudatissimus vir. Cujus nescio an mirer magis artem qua contexit Apologiam suam pro circuitu sanguinis, an styli elegantiam, an vividam vim qua acriter, nec tamen amare nimis, se invehit in hostem, an inde relatam victoriam. Hos tulit fructus Harveii labor, hanc sibi procuravit aliisque messem. Quid majus sibi seni quis voveat, quam ut ita anteactæ vitæ ad utilitatem suorum replicare posset memoriam? ut in ea quam professus est artem princeps fuerit habitus; quam obscuram invenerit, ut lucidam reliquerit; viamque ita reliquis ostenderit ut non amplius esset errori locus? Fortunatum hominem, lenissimum natura, qui ita te gesseris, ut vivens domueris invidiam, qui laccessitus injuriis hostium, conviciis nihil, nihil opprobriis nisi argumenta, nisi experimentorum fidem obtuleris; cui usque eo vixisse contigit, dum vis veritatis ad te convertisset quos inimicos habueras, ut a tuis acceperis mercedem laborum, amplio-remque a posteris prævidere potueris!—

Ne vero in nimium crescat magnorum virorum com-

memoratio qui inde longo ordine secuti sunt, præcipiti cursu ad ætatem nostram feror ut adeam Matthæum Baillie, præceptorem hujus artis illustrem, talemque medicum, qualem non sine magno reipublicæ malo lugemus morte correptum; quo non digniorem video qui compleat orbem eorum hominum, per quos a studiis ad humani corporis naturam cognoscendam institutis maximæ res ad medendum accesserunt. Erat ei ad docendum mens aptissima, enodata, simplex; quæ memoria comprehenderat, distincte habuit omnia et ordinate collocata; quorum expositio perspicua fuit et dilucida; quæ si ad eloquentiam verbis ipsis non attigit, eo usque pervenit, ut ejus vice fungi videretur. Aperte loqui et breviter ei fuit mos, nulla exornatione usus est, singula quæque quasi ad vivum delineavit plane, luculenter, nulla verborum aut rerum ambiguitate. Memini ipse cum jam juvenis essem, et iis quæ docuit me dedissem, quanta solertia, quanta sedulitate res difficiles enucleabat, involutas aperibat, ita quidem ut mirifice sibi placeret auditor, se tanti negotii opus tam facile potuisse consequi. Quoties de ea parte in qua est physiologia disseruit, ea fuit sermonis felicitas, is rerum ordo nitidus, ea narratio, ea argumenti distributio, ut cum ipse summus esset artifex, nihil posset artificii in eo reperiri. Inerant moribus singularis simplicitas, candor, moderatio, bonitas, expressa quasi signa probitatis et benevolentia; ad hæc sinceri quoddam atque veri; quæ omnia

sui fiduciam fecerunt maximam. Attentus erat, acutus, diligens symptomatum investigator; interrogabat apte, breviter, explicite, ut qui majores res quæ morbis incidunt vellet omnes animo complecti, nec mentem suam sineret in minimis diffundi, nec levioribus irretiri vel suspensam teneri. Gravia erant quæ ferebat judicia, brevia, prompta, et ad rem; comprehensa leni sententiarum ambitu, quas vestiebat facilis quædam et pellucens oratio, qua sic utebatur, ut quæ presse dicebat, carerent obscuritate; quæ breviter ne curta essent; simplicibusque verbis ita disserebat, ut difficillimas res intelligerent audientes, vel saltem se intelligere crederent. Quare scilicet viventem tantopere amavimus, nonne quod ad eum delatus sit, non ab eo expetitus honor, quem meruisse magni, tulisse minoris habuit, propter innocentiam vitæ et modestiam, universam in medicos mansuetudinem, qua principatum gessit æquitatem, summum erga artem suam studium et amorem, diligentiam qua coluit, qua ornavit munificentiam. Eas igitur virtutes, nunc amotas nobis, nec jamdudum, nec adeo procul, ut effugerint oculos, quarum et ortum aliqui nostrum et cursum vidimus et occasum, nunc etiam, ut e longinquo respicimus ac uno quasi mentis intuitu percipimus, earum admiratione tenemur et desiderio. Cum igitur conjuncta sit iis tota ejus vitæ ratio, ad artem suam amplificandam accommodata, cumque ea repetamus quæ de anno in annum

eidem contulit, ac magnum illud opus de læsionibus corpori a morbo allatis contemplemur, (quæ res ab eo non inchoata licet, inde formam cepit et stabilitatem); necnon museum vobis quod exhibuit vivus, quasque opes ad id sustentandum suppeditavit, cujus custodes suæque famæ vos et hæredes reliquit, et ad expoliendum absolvendumque instituit, et ære sculptas iconas earum rerum, quæ per aures vix attingunt mentem, sed per oculos eo facillime feruntur, quas faciendas curavit perpetuæque fidei vestræ commisit moriens, quasque ideo legavit pecunias, quos bibliothecæ adjecit libros; miremur ei monumentum amicos, vos decrevisse statuam? Quam ei esse fingendam exegit, non solum apud suos verum etiam apud externos fama, et id præterea, quo æqui essemus erga nostros et nostratum memoriam. At vereor ne diutius hic constiterit oratio. Duæ res mihi fuerunt incommoditati, ne non satisfacisse viderer magni viri famæ, ne non amicitiae qua illum complexus sum. Aliud etiam me in divorsum traxit, ne nimius essem aut prolixior. Utcunque sint ea, si nimis dixerim, haud ingratham fore vobis arbitror hanc in eo commorationem; si parcius, id condonabitis imperitiæ; etenim quæ in eo erant, cum eodem modo in alio homine nusquam congregata viderim, fere singularia dicam, quæ et erant sui generis et in suo genere perfecta et absoluta.

Hæc Caii schola quantum arti profuit, perspectum satis est; nec deficiebant eorum cuiquam qui inde provenerunt vel literæ ad tradendum quæ didicerant, vel philosophia vel scientia, vel ardor, aut consilium. Quid inde? nihilne nostri fecerunt ad artem medicam promovendam sustinendamque? nihil eidem adhibuerunt operis et laborum? nihil ad dignitatem contulerunt instituta vestra? Cum fuerint a vobis provisæ leges quibus educarentur medici, ut ingenui fiant, ut ea quæ coram non iudicibus plerumque exercetur res liberaliter agi et sine fraude posset, ut summam vim ingenii quæ poscat qua maxime perficiuntur mentes disciplina contineri. Et simul corporis humani naturæ, partium situs, virium quas quæque habeat et ad quam normam reduci possit, a vestris cum sit derivata notitia, eorum quoque quæ intersint inter animalium corpora et hominum inquisitio, et ex iis rebus quædam vitæ sint eductæ leges quæ profuerunt olim, et in posterum magis profecerint, nihil vestris vobisque, nihil Linacro, nihil Caio sit, nihil Harveio laudi? Sed me reprimo, ut ad eos veniam qui talibus auxiliis adjuti vel in distribuendo rem medicam et melius ordinando claruere, vel instrumenta majora comparaverunt arti, vel quibus habebant feliciter uti sunt, aut qui natura solertiores intimius in eam inspexerunt et accuratius notatis morborum signis et peritius adhibitis remediis vel exemplorum suorum vi vel scriptorum præstantia viam fecerunt aliis. Qui cum permulti sint et quos

non possim omnes hodierno sermone complecti, satis erit aliquorum delibare virtutes. Non tamen ita deficiam Caio, ut ne commemorem quæ scripsit de ephemera Britannica, huic quoque artis parti initium dedisse. Nec silebo Mayernium Harveio æquævum, nobisque auctorem tot fere remediorum quot habemus hodie, quæ sunt ex antimonio, quæque ex hydrargyro. Et hic loci esset Willisio aliisque viris qui medicorum in numero inde multum laude processerunt; a quibus ad Sydenhamum recto itinere feror.

Sed quid digne de eo loqui possim? quid ei adjiciam famæ? quid dicam vobis non cognitum, non perspectum? quibus, etiam a juvenilibus annis, ejus libri in manibus fuerunt mentibusque, qui earum rerum quas præcepit experti estis veritatem; qui fidelitatem, qua, descripsit morbos, comprobastis oculis. Tanta est illa, ut non solum quasi lineamenta, verum etiam adumbrationes videre liceat; et sicut membra, forma, vultus colorque in tabula ad vivum picta, simul ac visa sunt agnoscuntur, ita eorum quæ depinxit verbis non possumus fugere similitudinem. Ea itaque dum legimus, ipsi curationibus suis videmur interesse, videmur cum prudentissimo solertissimoque medico consilium inire, sedulo, vigili, cauto, ne dum minima persequitur majora prætereat, explorare dissimiles morborum naturas, progressus exitusque, notare tempora quæ cuique remedio convenient, rem totam tanquam auribus oculisque percipere.

Conjunctus hujus ætati Mortonus fuit; acrioris forsan ingenii vir, non tamen ita accurati non ita concinni. Quas vero res gessit easque non inutiles, enucleate satis aperuit et consecutus est.

Utroque fuit major Radclivius, utrique dissimilis; a Sydenhamo ita alienus, ut miremur in eadem arte præclarissimis viris tam diversam fuisse naturam. Hic ad rem inveniendam, ille ad faciendam constitutus. Non ei erat istiusmodi mens quæ diuturna cogitatione et multis meditatis negotiis leni cursu jam tandem perducta est ad finem, sed acrius quoddam habuit atque promptius, quo rapido animi motu quæ intelligenda erant amplexus est; singularem simul judicii vim, qua mentis impetum cohibuit. Non is erat igitur qui præcepta daret arti, sed quæ ferret ars exemplo suo doceret. Ut præstantissimi imperatores, qui opportunitates temporum et locorum capiunt quibus præcitant hostem, id mentis habent qua periculo occurrant improvise, ideoque usitatos militiæ modos non semper sequuntur; ita ille in gravioribus morbis, quoties sibi visum est, non veritus est ab antiqua via decedere, et tentare aliam. Qui cum talis esset, non idcirco a tutioribus consiliis deflectebatur, his vel illis illecebris abductus aut novitatis studio, sed quæ erant in conspectu fortiter accedebat; cautus ne sibi pararentur insidiæ, non morem gerebat aperto hosti, delitescenti modum adhibebat. Unde mira illa futura præsagiendi facultas, et quam præ se ferebat

pæne arrogans fiducia; unde illa dictis allata fides, et id quo infixi ejus vultu hærebant ægri, spem inter metumque, ut aspectus ejus oris remissior quid auguraret boni, ne gravior periculum indicaret. Unde etiam non modo auctoritatem in ægrotantes, sed et imperium tenuit; quæ licet intemperanter nonnunquam gesta, vim aliquam et momentum impertiebant arti, quam exinde ornabant Meadii Freindiique major mansuetudo, et cultior indoles, et perfectior disciplina, et suavitas, et benevolentia, et cum dignitate lenitas. Neque tamen ei defuerunt vel doctrina, vel ab ea quæ percipiunt auxilia medici, in cujus negligentia culpam eum incidisse arbitror, non propter ignorantiam, sed quod irridebat eos homines qui cum haberent literas non habebant artem. Diu fuit nobis in proverbio mira ejus solertia; quam eo majoris habeo, quod illius viri, qui nihil post se reliquerit, nihil scripserit, nullum ingenii monumentum posteris dederit, nisi universam quam tulit ab æqualibus suis existimationem, præterlapso plus sæculi spatio, nondum exoleverit memoria.

Erant ejusdem fere ætatis Freindius Meadiusque, alius alii conjunctissimus amicitia, et necessitudine studiorum, quos inter se collatos, tales afferre possum, quales suos vellet esse Linacer, arte medica scilicet doctissimos, aliis artibus peritos. Horum uter utri in Græcis Latinisque literis cesserit, dictu difficile est; non alium alio instructiorem fuisse credo, non magis ornatum in scribendo; illum ele-

gantiolem arbitror, hunc illustriorem. Nec par fuit vitæ cursus neque famæ; ille enim vix decem lustris conditis decessit, hic ad senectutem perductus amplius nomen reliquit. Sed cui brevior, non ideo minus laudabilis ætas, et ob brevitatem exitus flebilior. Profecto ei in diuturnitatis veniebat locum celerrima vis ingenii, et rerum omnium facilis perceptio. Ergo eum adhuc juvenem tota humanitatis studia, veterem ac recentem medicinam, res chymicas ac phycas, infinitamque scientiarum materiam assecutum habuimus, de iisdem prælegentem et scriptitantem, Musarum severiorum et leviorum simul assiduum cultorem, elegantem, disertum. Et cum de talibus viris ferendum sit iudicium, qui et ingenio erant fere pares et in negotiis similiter occupati, minimæ quæ intercesserant iis sint notandæ dissimilitudines, fatendum est ejus opera intra pauciores annos confecta et re et magnitudine Meadianis præstitisse. Haud tamen minoris sunt ad rem medicinalem promovendam hujus studia nunquam intermissa, quem Freindio in excolenda arte dubiam puto detulisse palmam, quem præripuisse in gerenda. Similes exercebant res ingenia similia et prope æqualem dabant messem; sed inerat huic quoddam elatioris mentis, et promptius acumen in medendo. Magna fuit utrique in curatione felicitas, uterque novas vias invenit, quas certas satis et fideles comprobaverunt posterii; vitæque curriculum, ut honestaret artem, ordinavit pariter ac peregit. Quibus factum

est ut imperium Radclivio decedente quod cum Freindio Meadius communicatum habebat et postea tenebat solus, non esset unquam firmitus constitutum, nunquam feliciter gestum aut splendidius. Hinc magna domi forisque doctorum hominum consuetudo, magnæ apud exteros necessitudines, et per Europæ plagas cum eruditissimis viris crebra consiliorum communicatio, a quibus sibi suisque est collata dignitas, auctumque in ejus persona vestræ civitatis decus; hinc regnum quo potitus est amplificatum reliquit, et optimum quo instrui debet exemplum.

Similis familiaritas Bakerum Heberdeno conjunxit, quorum uterque Meadium senem sed adhuc florentem vidisse et novisse potuit, uterque ætatem Freindii attigit, sed propter juventutem non ejus interfuit famæ. Ambos Cantabrigiæ educatos maxima Græcæ Latinæque linguæ ornabat peritia, et quæ illic in pretio est scientia; in priore, hic illo minor, in proxima major habebatur. Summus erat Bakero Latini sermonis nitor, Heberdeno summa concinnitas, quæ non solum scripta et loquelam sed etiam cogitandi morem complexa est et agendi. Quæ meditata est in animo, (et quid illic rei non commentatum habuit?) ad simplicem veritatis normam lucidis verbis exposuit breviter, temperanter, apte. Quale fuit ei ingenium, qualis vitæ mos, quale colloquium qualisque integritas, ab iis quæ scripsit intelligi potest; in quibus credibile est eum plura potuisse, nisi modestissimi viri scrupulum injecisset

animo, in ea arte in qua agitur de vita hominum, suspicio ne forsitan errasset ipse, metus ne cum illo errarent alii. Quocum viro mala fortuna usus nunquam congressus sum. De illo tamen tam creber fuit sermo in paternis ædibus, ut quem non ipse novi eum quodammodo recordari videar, quem mihi ideo persuasum habui summam eam venerationem attigisse, qua sapientissimos viros et grandiores natu antiqui colebant. Bakerus a pueritia mihi cognitus, eaque nobis consuetudo vitæ fuit quæ juvenem potest esse inter senemque, ut sit mihi non dubia sermonis ejus morumque imago, gravitatis quam habuit apud medicos, et doctrinæ quam consecutus est famæ. Illum igitur de omnigenis rebus quæ erant vel artis suæ vel literarum non infrequenter disserentem admirabar, de quibus sententiam meam proferre nollem, nisi vestrum aliquos haberem gravissimos testes. Sed mihi vobisque patet a scriptis quæ fuit ei Romanæ linguæ vis, quam pulcre ad res medicas instituta mens; audistis quos ipse labores suscepit, et ad quos excitavit alios. Quare eum frequentissimo eorum hominum coetu stipatum vidimus qui vel amplexi sunt medicinam, vel erant amplexuri, vel se cognatis immiscebant artibus, vel literas habebant, quibus erat in amici loco, consiliorum adjutor, hortator studiorum, et si liceret patronus.

Hisce viris illustrioribus tertium libet adjicere, ab eadem Academia profectum; quem ne præteream, suadet

perfectissimus amor et infinitum sui desiderium, monet filii pietas erga optimum parentem, et, ut arbitror, perspecta vestra in eum voluntas et nota benevolentia. Qui cum sui esset, nec alicujus ævi non fuisset ornamentum, et in quacunque alia, nisi me fallat error amabilis, cæteris hominibus antecellisset arte, in vestram fortuito incidit, ut præ se ferret morem integerrimi medici, et ostenderet, quanta illa sit cum opportuno occurrat ingenio. Sæpe ei detulerunt oratores vestri Radclivii sagacitatem Meadiique gratiam; a quibus tenuisse fertur quod præstantissimum uterque habuit, miram scilicet in morborum naturas arripiendo et distinguendo celeritatem, miram in præsagiendo solertiam, summam in medendo peritiam, felicitatem, humanitatem; atque ita hominum perspexisse mores, ut uno intuitu sentiret quæ postulabant ægrotantium animi. Quare viderunt sui temporis medici, ipsius ab adventu, uno verbo vel altero depositas ægrorum curas, lenitas mentis sollicitudines, profligatos metus; eum cum doctis erudite, cum lepidis facete, cum omnibus jucunde, omnibus apte et commode loquentem; nutu aliquorum confirmantem animos, risu aliorum; hos tenentem ratione, illos auctoritate; hortatione excitantem alios, quosdam objurgatione miti reprimentem; ducentem nonnullos ad obliviscendum malorum eloquio molli et opportuna festivitate; omnes comiter, non amissa dignitate, omnes amabiliter et benevole excipientem, et cura pæne paterna invigilantem

omnibus. Unde timidis, et qui prope desperaverant, sperare dedit; miseris per fugium fuit, languentibus solatium; laborantibus tulit requiem, et inevitabile quibus instabat fatum, lenimen quoddam formidini et dolori. Quid mirum igitur qui tantum imperium in corpora hominum possidebat, tantum in mentes, qui quasi manu sua vitæ habenas tenebat, si summos suæ artis attigerit honores, si præmia maxima ab ea reportaverit. Aderat ei optimorum verborum copia, non arte delectorum sed casu et sponte fluentium, quæ ita rem tetigerunt, ita mentem expressere, ut nihil desideraretur amplius; animus promptus, accuratus alacer, hilaris, semper ad meliora versus; multæ literæ magna scientiarum cognitio: fuit in colloquio concinnitas, in enarrando perspicua brevitatis, acre iudicium, alta rerum hominumque observatio. Nulla res ei nova videbatur, nulla inopinata; propensus erat ad medicos et disciplinæ dignitatem, quam tutam esse voluit, quam sustinuit, et, quod mihi propius est, fuit his rebus omnibus omni domestica virtute major.

Paulisper insistamus sodalitiis horum trium medicorum, quos dispares annis communitas negotiorum conjunxit atque famæ, quibus tot pares, una viventes, una rem gerentes, nulla prior consociavit ætas, futura aliqua alia ut reducat et gratum est et libet auspicari.

Respicite jam demum res gestas vestrorum, vestræ artis amplitudinem contemplantini, et vobiscum reputate a quibus

fontibus illa profluxerit, ut intelligatis unde honestissimum habuit apud Anglos medicina morem. Quæ cum sint proventus laborum Linacri Caiique, eos commemorate, quæ instituerunt, custodite, sit eorum vitæ ratio, sint, eam qui coluerunt, vestris præsentibus animis. Antecessorum decus posteris ornamentum est, antecessorum nostrorum fama crevimus et fovemur, illorum disciplinis instruimur, illorum exemplis ducimur; illius laudis quod reliquerunt nomen pectoribus vestris semper infixum hæret, id incitamentum est ad gloriam, id suadet ad industriam, id monet ad rem medicam augendam tuendamque, id, ad virtutes æmulas. Quæ quantæ in iis fuerint, quamque eminentes, vestræ spem fidemque faciunt ad vos ab iis delatus honor, cumulatus vestro, posteros ut attingat.